



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola XIII. Alexandri Papae III. Ad Evmdem. De Cantuariensi ecclesia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

vero, & ecclesiasticas personas diligit, & honoret, & eorum iura conseruet. Venerabilem quoque fratrem nostrum Cantuariensem archiepiscopum in amorem & gratiam suam reducat. Nos enim, si eam, quam incepit, beato Petro & nobis reuerentiam exhibuerit & honorem, eum feruenti affectione diligimus, & ad honorem & exaltationem ipsius, & conseruationem regni sibi commissi, modis omnibus, prout decuerit, intendemus. Malumus enim ipsum in patientia & mansuetudine vincere, quam eum aliquo modo grauare, quamdiu id poterimus sustinere. Datum in gradu Mercurii vndecimo Kalendas Septembris.

EPISTOLA XIII.
ALEXANDRI PAPÆ III.
AD EVMDEM.

De Cantuariensi ecclesia.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri
Gilberto Londonensi episcopo salutem & aposto-
licam benedictionem.*

A MEMORIA tua non credimus excidisse, qualiter carissimus in Christo filius vester Henricus illustris rex Anglorum multa a nobis olim precum instantia requisiuit, vt ab Herefordensi ecclesia, cui præminebas, de te in Londonensem ecclesiam translationem fieri patremur. Vt autem suæ petitioni nostrum impertiremur assensum, necessitatem imminentem pariter & vtilitatem proponebat; afferens quod ciuitas illa quasi regia sedes existeret, & quia te religionis & discretionis virtute crederet præminere, consilio tuo, super his quæ saluti animarum expedirent, & ad regni augmentum pariter & conseruationem spectarent, temporaliter & spiritualiter vti volebat, & ideo magis proximum te desiderabat habere. Vnde attendentes quam vtiliter prudentia & religio tua saluti eiusdem regni & regis posset consulere, & quanta inde valeat commoditas prouenire, libenter suis precibus acquieuiimus, & te concessimus in Londonensi ecclesia promoueri. Vnde quanto benignius eius beneplacatum & voluntatem compleuimus, & tuæ pariter exalta-

tioni intendimus & honori, tanto probitas tua circa incrementum & conseruationem ecclesiæ amplius deberet eniti, & attentius circa hoc laborare, vt fructum, quem idem rex nobis proposuit, & nos speramus, exhibitione operis & ipsa rerum experientia cognoscamus. Quomodo autem rex prædictus a deuotione ecclesiæ animum auertit, & iam in multis sicut appellationibus & visitationibus vestris communicando etiam excommunicatis nominatim & schismaticis, & confederando se eis, & in eo etiam quod venerabilem fratrem nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum de regno suo exire coegerit, quasi persequi & impugnare videtur, te non credimus ignorare. Quapropter solicitudinem tuam rogamus, monemus, atque mandamus, quatenus adiuncto tibi venerabili fratri nostro R. Herefordensi episcopo, eumdem regem solicite commoneas, & studiofa exhortatione inducas, vt huius proposito prorsus relicto, in eo quod excessit, sicut dignum est, satisfaciat, a prauis affectibus omnino desistat, Creatorem suum puro corde diligat, matrem suam Romanam ecclesiam solita veneratione respiciat, nec eam visitare volentibus inhibeat, appellationes ad eam factas nullo modo impediat, & prædictum nostrum Thomam Cantuariensem archiepiscopum ad sedem suam benignius reuocans & reducens, in beati Petri & nostra reuerentia firmus immobilisque consistat, & ad opera misericordiae ac pietatis intendat; vt ille, per quem reges regnant, temporale sibi regnum conseruet in terris, & semipiternum largiatur in cælis. Et nisi ista maturius correxerit, timendum sibi erit, ne & Deus ei pro his omnibus grauiter irascatur, & in eum & in suos debeat grauius vindicare, & nosipſi id non poterimus diutius in patientia sustinere. Nec ista pro nobis, quantum pro eo proponimus, cuius gloriam & honorem totis affectibus exoptamus.